

HELFRICI-ULRICI
HUNNII,

U. J. D. ET INCLYTÆ ACADEMIÆ
GIESSENÆ PROFESSORIS

TRACTATUS

FEUDALIS.

OLIM IN CELEBERRIMA
Academia Wittebergensi Studiosæ juven-
tuti prælectus.

Num. 46. Cap. 8.


Num. 44.



GIESSENÆ,
Typis & Impensis Casparis Chemlini.

M. DC. XVI






REVERENDO AC VERA NOBILITATE, INSIGNI ET RARA ERUDITIONE CONSPICUO VIRO, DOMINO

CASPARI Schulte/
CAPITULI VERDENSIS CANONICO DIGNISSIMO, ARCHIEPISCOPALIS, quæ Vörde est, Aulæ Consiliario dignissimo spectatissimo,

Domino & amico meo plurimum colendo & honorando, perennem salutem & novi huius anni auspiciam felicissimam ex animo precor.



*Q*uod adriennium propè est, Vir Reverende ac Nobilissime, cum presentem hunc TRACTATUM FEUDALEM in Perillustri & Celeberrima Academia Witebergensi studiosæ Iuventuti, Auditorio admodum frequenti, praelegerim. Et si autem antehac nunquam animum induxerim hasce lucubrationes & labores meos, privatis quorundam Studiis dicatos & consecratos, in publicam lucem proferre, propterea quod me non fugeret de hoc ipso argumenti genere multò maiora & meliora ab aliis iam edita, & ideo meis laboribus non admodum opus esse. Veruntamen quia cognovi & vidi huncce Tractatum in celeberrimis Germania Academiis ingenti aviditate à Studiosis Iuris excipi & legi, ipsorumq; cura & impendio frequenter describi, sed saepe ita negligenter, ita vitiosè ut plurimis mendis, non modò commaculetur; sed sensus etiam mirum in modum obscuretur & deforme-



CAP. PRIMUM.

DE ORIGINE FEUDORUM.



RIGINEM feudorum esse vetustissimam propè inter omnes convenit, eò quod hoc

ipsum innuere videtur Feudista in *lib. 1. F. §. 1. tit. 1.* At circa quodnam tempus primùm feuda sint introducta, non unà eademq; omnium est sententia, & vix dici potest, quantoperè in eo varient Interppr. quorum opiniones saltem præcipuas (quis enim omnes referret) considerabimus, & quæ ex omnibus retineri debeat, paucis indicabimus.

Et primò Johan. Goedd. *in disp. feud. 1. thes. 1.* Joh. Niell. *1. disp. feud. thes. 1.* & Hent. Lückius *in tract. feud. 1. n. 6.* feudorum initia ad primæ Monarchiæ tempora referunt: adducti seqq argumentis.

1. Quod in *lib. 1. Feud. tit. 1. §. 1.* antiquissimo tempore feuda in usu fuisse testetur Feudista. Antiquissimum autem tempus, citra omnem controversiam, sit tempus primæ Monarchiæ, quo aliud sit antiquius nullum.

2. Quod ratio, ob quam introducta sunt feuda (quæ hæc est, ut

Princeps semper habeat in parato militem bonum & exercitatum *2. F. 53. & 55.*) sub initium primæ Monarchiæ æquè atq; nunc obtinuerit.

3. Quod *Genes. 14. v. 4.* legantur quinq; Reges Davidi à Kedorlaomor, duodecim annos ipsi servivisse, & anno 13. ab eodem rebellassent. Hi vero Reges Kedorlaomori non servierint ut mancipia, Tum quod tyrannorum sit, victos Principes habere pro mancipiis; Tum quod ex *d. c. 14.* colligi possit, illos quinq; Reges fuisse regnis suis relictos. Nec etiam servierint tanquam subditi, cum fidelitas, quæ ratione subjectionis præstat, personam ipsam solùm respiciat, & præstetur habitationis solùm ratione, quam quis habet in territorio. Idcirco levi omnino videatur quinq; illos Reges fuisse suis regnis relictos, sub conditione fidelitatis, victori impostero, nomine receptorum feudorum præstandæ: adeoq; regna ipsis à Kedorlaomore fuisse in feudum concessa.

4. Quod in *lib. 2. Paralipom. c. 36. v. 13* mentio fiat expressè fidelitatis: Fidelitas autem ut feudi